



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXIII. De Excommunicatione ob venditionem, & delationem  
armorum, aliorúmque in Bulla Cœnæ prohibitorum ad Turcas, aliósque  
infideles contracta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS LXIII.

*De Excommunicatione ob venditionem, & delationem armorum, aliorumque in Bulla Cœnæ prohibitorum ad Turcas, aliisque infideles contracta.*

**A**lbertus mercator hungarus non solum victualia, vestimenta, cultros, coclearia, aliasque merces Turcis ex circumvicinis locis ad se excurrentibus divendere solet, sed etiam, cum nuper Jubilæum pro felici Christianorum armorum successu concessum publicari audivisset, quò omnibus Confessariis dabatur facultas absolventi ab omni casu Sedi Apostolicæ reservato, prætextu Bullæ, & spe intra tempus Jubilæi obtinendæ absolutio- nis, ferrum, gladios, sclopetæ, aliæque arma prohibita ad Turcas per se, & per alios defert, quibus caro pretio distractis domum revertitur, & adhuc intra tempus Jubilæi commissum crimen confitetur.

*QUÆR. I. An vendentes solum arma infidelibus in locis Christiano Principi subjectis incurrant Excommunicationem Bullæ Cœnæ, etsi ea ad terras infidelium ipsimet non deferant?*

*QUÆR. II. An nomine prohibitorum in Bullæ Cœnæ comprehendantur etiam vestimenta, victualia, aliæque merces?*

*QUÆR. III. An Albertus in posito casu absolvi possit à tali peccato reservato, in quod spe, & prætextu publicati Jubilæi incidit?*

356 **A**n te resolutionem primi Q. notandum est inter alias Excommunicationes in Bulla Cœnæ contentas, eam etiam esse, quâ tria personarum genera excommunicantur, scilicet

Primò deferentes ad Turcas, & Sarracenos, vel quoscumque Christiani nominis hostes, & inimicos sequentia videlicet equos, arma, armorum materiam, ut ferrum, filum ferri, stannum, chalibem, omnia-



omniâque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, (hoc est ligna apta ad faciendas naves, currus, hastas, aggeres, aliâque ad belli usum) funes, materiam funium, aliâque hujusmodi, quibus infideles prædicti Christianos impugnant.

Secundò excommunicantur illi, qui hujusmodi inimicos certiores faciunt de rebus ad Statum Reipublicæ Christianæ pertinentibus in perniciem, & damnum Christianorum.

Tertiò consilium, auxilium, vel favorem eisdem præstantes in eandem perniciem, & damnum. Hoc notato.

356 Ad 1. Q. Dubium oritur circa hoc verbum *deferunt*, seu *deferentes arma*: an vendentes tantum ejusmodi prohibita in terris Christianorum abque eo, quòd illa deferant ad terras infidelium, comprehendantur sub hac Excommunicatione? Ubi

Negativè respondent Cajetan. *V. Excommunicatio cap. 20. Navar. in C. ita quorundam de Judæis n. 41. Tolet de cas. Bull. Cen. Excomm. s. Sayrus l. 13. cap. 11. n. 26.* & alii eâ ratione moti, quòd cum hæc materia sit pœnalis, verba sint intelligenda in propria sua significatione, sine ampliacione, cum enim pœna sit odiosa, ex regula  
*R. P. Leonardelli Soc. Jesu.*

juris potius est restringenda, quàm amplianda: deferre autem dicit motum ad locum, neque idem est, quòd vendere: ergo. Accedit, quòd si Legislator censuræ Excommunicationis subicere voluisset etiam vendentes ea, quæ vetat deferri, potuisset id verbis exprimere; imò debuisset ad vitandas voces ambiguas, & æquivocas: cum ergo id non expresserit, dicendum est, noluisse sub ea excommunicatione comprehendere vendentes. His non obstantibus

Affirmativam sententiam amplectuntur, ac tuentur Sylvest. in verb. *Excommunicat. 7. n. 64. Angel V. Excomm. s. casu 21. n. 6. Rosell. V. Absolutio 1. n. 88. 93. &c. Joann. Tabiens. V. Excomm. tit. 6. n. 11. Comital. l. 6. q. 11. n. 3. Palao de censur. D. 3. pun. 8. n. 12. Bonac. D. 1. q. 8. p. 2. n. 31.* aliique ab hoc relati.

Moventur 1. Quia delatio armorum, aliarumque rerum hinc prohibitarum non est vetita, neque excommunicationi subjecta, nisi propter venditionem, & traditionem: ergo ipsa traditio per se videtur interdicta; si enim quis ad loca Sarracenorum cum armis proficisceretur eo solum animo, ut iisdem armis in via se tueri possit, eademque domum secum referret, Censuram Bullæ effugeret; ergo ipsa delatio per se ve-

D d d tita,



tita & punita non est, sed propter venditionem & traditionem.

Secundò, quia verus sensus, & legitima interpretatio legis, ex fine, qui intimus est legi, & ex voluntate Legislatoris desumi debet: sed finis legis prohibentis delationem armorum, & reliquarum rerum prohibitarum, & voluntas Legislatoris, est, ne capitalissimis Christiani populi hostibus eo genere rerum ulla adversus Christianos auxilia suppeditarentur ad nos oppugnandos: nihil igitur interest, an ea auxilia eis suppeditentur, & præstentur rebus illis, seu deferendis, seu vendendis, seu quovis alio titulo tradendis, quocumque enim modo arma, aliaque prohibita subministrantur, contra finem legis, & voluntatem Legislatoris subministrantur, siquidem mens omnium Pontificum est, & esse debet, arma, aliaque in eorum Constitutionibus posita prohibere, ne median- tibus illis infideles validiores, & fortiores reddantur ad impugnandos Christianos: atqui infideles æquè validiores, & fortiores evadunt adversus Christianos per arma eis vendita, & ab eis asportanda, ac per arma ad eos delata: ergo.

358 Secunda hæc sententia tenenda videtur, & alteri præferenda, siquidem sequi convenit id, quod æquitas, & ratio, & communis utili-

tas, justaque Legislatoris voluntas suadet: hæc autem omnia suadent id, quod hæc secunda sententia tenet. Contra verò opposita sententia in vocabulorum notatione hæret, Christianæ Religionis commoda corrumpit, Legislatorum mentem eludit, & viam aperit innumeris fraudibus, ac dolis.

Nec urget ejus ratio in contrarium allata; nam etiam interdictum illud sit in materia pœnali, non odium, seu pœna privatis delinquentibus constituta hinc spectari debet, sed favor amplissimus, & beneficium necessarium, ac maximum, quò Canon ille cunctum fidelium cœtum, Catholicasque Provincias prosequitur, quarum commune bonum promovere, & malum avertere intendit, & idcirco amplissimam interpretationem admittit. Unde

Et Panormit. in *c. ex tenore, qui filii sint legitimi*, nota, inquit, singularem rationem Joann. Andreæ, quòd constitutio pœnalis debeat extendi, & largo modo interpretari, quando emanat, ut evitentur animarum pericula.

Ad rationem subjunctam R. Legislatores legem salutarem ferentes non solere illorum omnium mentionem facere, qui per fraudem sunt legem violaturi: dein hoc ipso quòd actio deferendi propter



propter ipsam venditionem, & traditionem vetita sit, ipsam quoque venditionem & traditionem multo magis à Legislatore interdictas esse oportet, idque colligi potest ex fine legis, & clara mente Pontificum, esto id non eruatur ex propria vi, & significatione delationis. Nota autem hic, etsi ejusmodi arma vendentes non incurrerent Excommunicationem Bullæ Cœnæ, incurrere tamen Excommunicationem latam in cap. ad liberandum de Judæis; quia ibi excommunicantur arma Sarracenis vendentes,

359 Ad 2. Q. Centent Suarez t. 5. de censur. D. 21. Sect. & Bonac. t. 3. de censur. D. 1. q. 8. p. 2. cum aliis inter prohibita in Bulla Cœnæ contineri etiam vestimenta, victualia, aliâsque merces, si hæc transmittantur tempore belli, seu eo tempore, quò infideles eis uti possunt in damnum Religionis Christianæ. Rationem dant, tum quia hæc videntur comprehendere sub illis verbis generalibus, & alia hujusmodi. Tum quia his rebus auxilium, & favor quomodolibet præstatur hostibus Religionis nostræ, cum hæc sint bello gerendo vel maxime apta: atqui in dicta Bulla excommunicantur auxilium, consilium, & favorem infidelibus præstantes: ergo.

Contrariam tamen sententiam 360 satis probabiliter defendunt Cajetan. l. c. Navar. l. c. Panormitan. in cap. significavit de Judæis, Talet l. c. Palao l. c. aliique; quia iis formaliter non oppugnantur Christiani, neque illa per se ad bellandum deserviunt, sed ad alios usus destinantur. Nec obstare ajunt, quòd in præfata Bulla excommunicentur auxilium, & favorem infidelibus præstantes; quia id intelligi debet de auxilio consistente in monitione de Statu Reipublicæ Christianæ, & delatione armorum, aliarumque rerum, quibus fit oppugnatione, & non de illis, quæ per se bello non deserviunt, sed aliis usibus sunt accommodata.

Cæterum etsi hujusmodi vendentes, & deferentes non incurrerent censuram Bullæ Cœnæ; incurrunt tamen censuram à jure inflictam iis, qui tempore belli non solum Comœtum, arma, aut alia belli subsidia, sed etiam qui merces quas-cumque ad infideles deferunt; ne occasione commerciorum iisdem prodantur arcana Christianorum consilia, cap. quod olim 12. h. tit. & ibi Abbas n. 1. Barbof. n. 2. König. n. 11. Wiestn. n. 17. Pirhing n. 36. Schmalzgr. n. 46. aliique.

Ddd 2 Ad



361 Ad 3. Q. Videtur Albertum prætextu & spe Bullæ, ac absolutionis obtinendæ peccantem non posse vigore promulgatæ Bullæ absolvi à censura, quam ita incurrit; idque idèd.

Primò; quia indignus est privilegio, ejusque amissionem meretur, qui eo abutitur, ut arguit Covarr. l. 2. var. c. 20. nemòque debet ex proprio suo dolo commodum reportare.

Secundò, quia mens Pontificis privilegium concedentis non est, præbere occasionem, & incitamentum ad peccata committenda, sed potius remedium suppeditare ad ea tollenda.

Tertiò, qui spe veniæ, & immunitatis alterum in Ecclesia occidit, non gaudet immunitate Ecclesiastica: ergo à pari, qui spe privilegii delinquit, non gaudet privilegio. His non obstantibus.

Communis & verior opinio teste Th. Sanch. l. 4. cap. 54. n. 18. & Viva q. 11. a. 3. affirmat Albertum spe Bullæ, & confidentia obtinendæ absolutionis delinquentem posse absolvi, & gratiæ concessæ participem fieri, si delictum suum confiteatur adhuc intra tempus in Bulla ad lucrandum Jubilæum determinatum. Ratio est, quia facultas absolvendi in dicta Bulla concessa se extendit, seu respicit

assignatum tempus Confessionis debito modo peragendæ: ergo si tunc, quando confitetur, nullum ponit obicem, præstatque præstanda, potest, ac debet absolvi, præsertim cum circumstantia temporis non sit necessariò exponenda, ut habet communis cum S. Thom. in 3. sent. dist. 37. a. 7. q. 2. Unde nullus Confessarius per se tenetur interrogare pœnitentem, quo tempore peccaverit.

Secundò, quia peccare confidentia, & spe impunitatis non excludit peccantem à participatione privilegii, & gratiæ, quam Princeps concedit, & expressè, ac explicitè non limitat, siquidem privilegium, in nullius damnum, aut præjudicium redundans, sed ad spirituales omnium lætitiæ concessum, latè accipiendum est, favores enim convenit ampliari. Imò defacto multi ex fidelibus peccant spe veniæ obtinendæ, nec tamen propterea incapaces redduntur absolutionis, multique Clerici sub confidentia, & spe, quòd à Judice laico non sint puniendi, gravia patrant delicta, & suis utuntur exemptionibus, ac privilegiis nulla ratione habita, an ante illorum concessionem peccaverint, vel postea: ergo non est, cur non possit pariter absolvi ille, qui peccat prætextu Bullæ & spe Indulgentiæ obtinendæ, cum peccare spe veniæ non sit circumstantia mutans speciem, imò potius minuens quàm



quàm aggravans, ut probat Cajetan. 2. 2. q. 121. a. 2. cùm sit de fine bono. Neque ob stare videntur rationes in contrarium adductæ.

Ad 1. enim R. ea non procedere in foro conscientie, ubi solummodo attenditur dolor, & contritio requisita de omnibus commissis peccatis pro eo tempore Confessionis peragendæ, pro quo absolvendi conceditur facultas: hæc autem in posito casu non est solum ad tempus concessionem antecedens, sed etiam subsequens, si quidem Bulla omne tempus complectitur ipsum actum absolutionis antecedens, ut adeò vi Bullæ possit absolvi quis cumque, qui in Excommunicationem incidit, usque ad illud ultimum tempus, quod in Bulla determinatur, & exprimitur. Neque ex eo, quòd privilegio abutens mereatur ejus amissionem, sequitur eum illud amittere ipso facto. Et licet fraudem, dolumque nulli suffragari velis, penitentia tamen de fraude, & dolo vel maximè prodest; peccatum enim non ex se, sed ratione impœnitentiæ, ac perseverantiæ irremissibile dicitur; hoc autem non contingit in posito casu, cùm Albertus non animo perseverandi, sed confitendi, & absolutionem obti-

nendi in dictam censuram incidit.

Ad 2. R. etsi intentio Pontificis non sit, occasionem, aniamque præbere delinquendi, si tamen quis per accidens eam ex Bulla arripiat, non propterea à concessa in Bulla gratia excludendus est, nisi id clare, expressèque exprimat, sic multi ex Divina misericordia, & benignitate, quâ peccatoribus, quamprimum resipuerint, veniam pollicetur, occasionem arripiunt delinquendi, nullus tamen tam grande peccatum committit, cujus remissionem, si de illo verè doleat, à Deo non obtineat, quia scilicet licet peccare spe veniæ obtinendæ malum sit, non tamen excludit sic peccantem à lege veniam peccati concedente.

Ad 3. R. n. conseq. & parit. disparitas est, quòd homicidium in Ecclesia, vel ejus Cœmeterio commissum, sit unum ex criminibus à jure exceptis *C. fin. h. tit. c. si quis 5. de homic. & Constit. Gregor. XIV. quæ proin crimina delinquentem sacro privant Asylo; nihil autem tale ponitur fuisse expressum, vel exceptum in præfata Bulla concessi Jubilæi.*

